



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum sit vitium capitale? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Vtrum inanis gloria sit vitium capitale? 658
AD quartum sic proceditur. Videtur, quod inanis gloria non sit vitium capitale. Vitium enim quod semper ex altero oritur, non videtur esse capitale. Sed inanis gloria semper ex superbia nascitur. Ergo inanis gloria non est vitium capitale. *inf. ar. 5. q. 1. locis ibi nota.*

¶ 2 Præterea, Honor videtur esse aliquid principalius quàm gloria, quæ est eius effectus. Sed ambitio quæ est inordinatus appetitus honoris, non est vitium capitale. Ergo etiam neque appetitus inanis gloriæ.

¶ 3 Præterea, Vitium capitale habet aliquam principalitatem. Sed inanis gloria non videtur habere aliquam principalitatem: neque quantum ad rationem peccati, quia non semper est peccatum mortale: neque etiam quantum ad rationem boni appetibilis, quia gloria humana videtur esse quiddam fragile & extra hominem existens. Ergo inanis gloria non est vitium capitale.

SED contra est, quod Greg. 31. * Moral. numerat inanem gloriam inter septem vitia capitalia. *l. 31. c. 32*

RESPONDEO dicendum, quod de vitijs capitalibus dupliciter aliqui loquuntur. Quidam enim ponunt superbiam vnum de vitijs capitalibus. Et hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia. Gregor. autem in 31. * Moral. superbiam ponit reginam omnium vitiorum; & inanem gloriam, quæ immediate ab ipsa oritur, ponit vitium capitale. Et hoc rationabiliter. Superbia enim, ut infra dicitur *, importat inordinatum appetitum excellentiæ. Ex omni autem bono quod quis appetit, quandam perfectionem & excellentiam consequitur. Et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ. Et propter hoc videtur quod habeat quandam generalem causalitatem super alia vitia, & non debeat computari inter specialia vitiorum principia, quæ sunt vitia capitalia. Inter bona autem per quæ excell-

l. 31. c. 31

q. 162. a. 1. & 2.

cellentiam homo consequitur, præcipuè ad hoc operari videtur gloria, in quantum importat manifestationem bonitatis alicuius. Nam bonum naturaliter amatur & honoratur ab omnibus. Et ideo sicut per gloriam, quæ est apud Deum, consequitur homo excellentiam in rebus diuinis: ita etiam per gloriam hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis. Et ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maximè desiderant, consequens est quòd sit multum appetibilis. Et quia ex eius inordinato appetitu multa vitia oriuntur, ideo inanis gloria est vitium capitale.

1. 2. q. 87

a. 2. et 4.

ad 4.

ar. 2. hu-

ius q. 67

q. 101. a.

1. ad 3.

in co ar.

659

su. q. 21.

a. 4. et q.

105. a. 1.

ad 2. 67

inf. q. 138

a. 2. ad 1

Et 2. dist.

42. q. 2.

a. 3. con.

et lit. lec.

2. et mal.

q. 8. a. 1.

con co 2.

et q. 9. a.

3. et q. 13

ar. 3. cor.

71. 23. c. 7

Ad primum ergo dicendum, quòd aliquod vitium oriri ex superbia non repugnat ei, quòd est esse vitium capitale: eo quòd sicut supra dictum est *, superbia est regina & mater omnium vitiorum.

Ad secundum dicendum, quòd laus & honor comparantur ad gloriam (vt supra dictum est *) sicut causa ex quibus sequitur gloria. Vnde gloria comparatur ad ea sicut finis. Propter hoc enim aliquis amat honorari & laudari, in quantum per hoc aliquis æstimat se in aliorum noticia fore præclarum.

Ad tertium dicendum, quòd inanis gloria habet principalem rationem appetibilis, ratione iam dicta *. Et hoc sufficit ad rationem vicij capitalis. Non autem requiritur quòd vitium capitale semper sit peccatum mortale: quia etiam ex veniali peccato potest mortale oriri, in quantum scilicet veniale disponit ad mortale.

ARTIC. V.

Utrum conuenienter dicantur filia inanis gloria esse inobediencia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & nouitatum presumpcio?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter dicantur filia inanis gloriae esse, inobediencia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum presumpcio. Iactantia enim secundum Greg. 23. Moral. *ponitur inter species superbiae. Superbia autem non oritur ex inani gloria, sed potius